



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Exempla, In Septem Capitalivm Vitiorm Detestationem,
Per Qvadragesimam, An. 1646. narrata**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1649

Capvt V. Gulæ & Luxuriæ vitium emendatum, & seuro pœnitentiæ
genere à Maria Ægyptiaca castigatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49161)

CAPVT V.

GVLÆ ET LVXVRIÆ VI-
TIVM EMENDATVM, ET SE-
VERO POENITENTIÆ GENEREA MARIA ÆGYPTIACA CA-
STIGATVM.

Propter crapulam multi obierunt. Ecd. 37. 74.
Welf. Kilian f.

TEMPORIBVS Honorij Papæ I. atque
Heraclij Imperatoris, vixit S. So-
phronius Episcopus Hierosolymi-
tanus, fuitq; sub initium hæresis Monothe-
litarum, insignis fidei Catholicæ defensor,
qui diem suum obiit Anno Domini 634.
Huius

I.
AVTHO-
RIS AV-
THORI-
TAS.

Baroni
tom. 8.
Annal.
Apud He-
ribert.
Rosvey-
dum l. 1.
de vitis
Patrum à
pag. 382.

Huius tanta est authoritas, vt epistola illius ad Sergium Episcopum Constantinopolitanum in 6. Synodo Act. i i. citetur. Hic Sanctus Sophronius, præter cetera, quæ posteris legenda & discenda reliquit, scripsit etiam vberioribus verbis sequentem historiam, ob temporis angustias, à me in compendium redigendam. Non tamen sine morum condimento, vt & iuuenes castitatem, & senes discant colere sobrietatem; turpe enim est adolescentibus lasciuire; foedum & absurdum senibus, adolescentiari; & luxus vtrique ætati vel vitandus, vel dediscendus. Historiam Prophetæ verbis ordior.

II.
ZOSIMAE
PROFE-
CTVS.
Thren. 3.
27.

Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua, idcirco Zosimas sanctus ille (non hæreticus, qui ab hoc alius fuit) ab ipsis maternis vlnis auulsus in quoddam Palæstinæ monasterium fuit portatus, in quo cum illo virtus perfectioque religiosa à teneris vnguis ita creuit, vt non solum cœnobij regulas omnes quàm exactissimè seruaret, sed etiam multa alia per quàm liberaliter adijceret, vigilantia, abstinentia, coniunctionis cum Deo opera; adeò, vt neque inter manuum labores, neque cum cibum fumeret, à feruenti diuinarum rerum meditatione, sacrisque cantibus

tibus desisteret; eaque propter à plurimis Dei
seruis, è locis longè dissitis, tanquam ad ar-
chetypum vitæ sanctæ venientibus visitare-
tur, qui ab eximio eius exemplo sibi ideam
sumerent philosophandi. Ad hanc sanctita-
tem diurnitas accessit; in ea enim seuerita-
te vitæ, quinquaginta tres totos annos, per-
seueravit. Nemo innocentia suæ nimium
confidat; nemo sibi placeat, si diu benè vixit;
sed *qui stat, videat, ne cadat*. Quàm diu viui-
mus, *militamus*; & prorsus *militia est vita ho-*
minis super terram, in militia autem nemo est
securus. Ibi, vt vincere possumus, ita & vin-
ci; & vtique tantò prouius, quantò minùs
sumus exercitati athletæ. Quid enim nobis
non potest accidere, si Zosimas, qui diuinis
sæpe visis atque reuelationibus armatus, à
puero inter pietatis doctores educatus, post
solidos quinquaginta tres annos, superatus
est à superbiam tentatione? Adeò semper vi-
gilandum, neque vlla hosti Tartareo rima
aperienda est. *Cancer*, ait S. Ambrosius, *liben-*
tissimè vescitur carnibus ostreorum. Verùm quo-
niam illa benè munita sunt firmissimis utrinque
testis, vt vi perfringi non possint, obseruat calli-
dè, dum se exponant ad solem. Ibi dum se aperi-
unt, & captant auram, cancer immitit hianti-
bus

1. Cor. 10.
12.
Iob. 14.
14.
Iob. 7. 1.

bus in os lapillum, ut testas reducere non possint; postea satis tuto intrudit chelam, & depascitur. Ita cum homines sese dedunt otio, & animum aperiant voluptatibus, & vanitatibus, & inanibus laudum auris captandis, venit diabolus, immit- tit foedas cogitationes; atque ita cum illi testam, qua antea muniebantur, non possint retrahere, deuorantur. Sic multis contingit; & prope etiam Zosimo euenisset, qui in ipso virtutum mari superbiae naufragium est passus, haud obscure demonstrans, verè dictum esse à S.

S. Augu-
stin. de
nat. &
gratia in
ep. ad
Dioscor.
Claudi-
an. 2.
Stilic.

Augustino: *Cetera vitia in male factis valent, sola superbia etiam in recte factis est cauenda: ne illa, qua laudabiliter facta sunt, ipsius laudis cupiditate amittantur.* Quod vel Claudianus aduertit ita canens:

*Quin ipsa superbia longè
Discessit, vitium rebus solenne secundis,
Virtutumq; ingrata quies.*

III.
ZOSIMAE
TENTA-
TIO ET
CVRATIO.

Cum enim ita, ut dixi, in virtute profecisset Zosimas, atque se videret, tanquam ideam perfectionis, adiri, salutari, & considerari, daemone malo occasionem captante, & Eugesuum suggerente, & ipsa quoque diuina providentia utili consilio permittente, periculosa mentem illius coepit quatere cogitatio, quasi iam omnibus numeris perfectus esset & absolu-

gent, quàm qui nunquam lapsi sunt, & seipfos sic non deslent. Vt ergo Zosimas quoque intelligeret, quàm longè alij eo sanctiores essent, atque inde in sui contemptu cresceret, super- bè de se cogitanti radiosus de cœlo Angelus astitit, hisque eum verbis est affatus: *Certasti, ô Zosima, diu heroicè, sed victor victus es.*

Gen. 12.

Ergo ut agnoscas, quantum tibi adhuc desit de illa virtutum perfectione, quam alij complures obtinuerunt, egredere de terra & de cognatione tua, atque ad coenobium, Iordani adsitum proficiscere. Audijt, fecit, susceptus est, vidit abstinentiam, vigiliam, orationes, charitatem mutuam, silentium tantum, vt nunquam, nisi cum Deo, aut de Deo, ascetæ illi loquerentur. Ob quam rem, in Paradisum, aut ipsum cœlum, vel ad Angelos certè in terris versantes, arbitratus est se peruenisse, à quorum cœlesti exemplo in schola virtutum erudiretur. Quanquam non erat hic vltimus scopus, ob quem Zosimas iussus est de monasterio egredi, in quo fuerat educatus. Adhuc longa illi, & grandis restabat via; quæ non sine diuerticulo à nobis est persequenda.

IV.
GVLAE
VITIVM,
SPECIES,
ET DAM-
NA.

Itaque audite, ventres, helluones, edones, gurgites, abiecta in pastum mancipia, & ob-
stupescite, Quid de duobus debitoribus cen-
seretis

absolutus, neque vllius ampliùs alterius exemplo, aut doctrina magisterioùe indigeret. Et fastu tumens ausus est secum ita loqui: *Nunquid est in terris monachus, qui nouum aliquid possit tradere mihi, iuuare me valens in aliquo, quod ignorem? aut quod ego in monachico non explenerim opere? Numquid inuenitur eorum, qui solitudinem duxerunt, vir, qui prior me in actibus sit?* Hunc etiam optimi quique habent hostem: postquam omnia vitia superauerunt, periclitantur, ne tanquam victores superbiant. *Quis vestrum, ait Seruator, habens seruum orantem aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, recumbe: & non dicat ei: Para quod coenam, & pracinge te, & ministra mihi, donec mandueem & bibam, & post hac tu manducabis & bibes? Nunquid gratiam habet seruo illi, quia fecit, qua ei imperauerat? Non puto. Sic & vos, cum feceritis omnia, que precepta sunt vobis, dicite: serui inutilis sumus, quod debuimus facere, fecimus. Ita quidem sentire, ita loqui deberent Dei serui; si tamen eos cadere permittat benignus Dominus, dat cum tentatione prouentum, vt, quod de Antæo ferunt, fortiores surgant, postquam ceciderunt. Vidi, inquit B. Climacus, & feliciores existimari, qui post lapsum ita lu-*

Luc. 17. 7.

VI
Ioan. Climac.
grad. 5.

O
gent

gent, quàm qui nunquam lapsi sunt, & seipfos sic non deslent. Vt ergo Zosimas quoque intelligeret, quàm longè alij eo sanctiores essent, atque inde in sui contemptu cresceret, super- bè de se cogitanti radiosus de cœlo Angelus astitit, hisque eum verbis est affatus: *Certasti, ô Zosima, diu heroicè, sed victor victus es. Ergo ut agnoscas, quantum tibi adhuc desit de illa virtutum perfectione, quam alij complures obti-*

Gen. 12.

nuerunt, egredere de terra & de cognatione tua, atque ad coenobium, Iordani adsitum proficiscere. Audijt, fecit, susceptus est, vidit abstinentiam, vigiliis, orationes, charitatem mutuam, silentium tantum, vt nunquam, nisi cum Deo, aut de Deo, ascetæ illi loquerentur. Ob quam rem, in Paradisum, aut ipsum cœlum, vel ad Angelos certè in terris versantes, arbitratus est se peruenisse, à quorum cœlesti exemplo in schola virtutum erudiretur. Quanquam non erat hic vltimus scopus, ob quem Zosimas iussus est de monasterio egredi, in quo fuerat educatus. Adhuc longa illi, & grandis restabat via; quæ non sine diuerticulo à nobis est persequenda.

IV.
GVLAE
VITIVM,
SPECIES,
ET DAM-
NA.

Itaque audite, ventres, helluones, edones, gurgites, abiecta in pastum mancipia, & ob-
stupescite, Quid de duobus debitoribus cen-
seretis

feretis, quorum vnus denario, alter mille talentis obstrictus, ille mille talenta, iste vix denarium solueret, etsi soluendo esset? Idem de vobis iudicote. Maximi peccatores sunt maximi debitores, & plerumque etiam minimi solutores; neque tantum pro mille peccatis volunt satisfacere, quantum faciunt sancti pro vnica leuissimæ etiam culpæ offensione. Qui pleni sunt iniquitate, impietate, blasphemijs, vindictis, furtis, detractionibus, impuritate, illis nimis grauis ac diuturna est Quadragesima; aiunt se dormire non posse, si non cœnent; in morbos cadere, nisi carnibus vescantur: totos dies versantur in popinis, totas noctes comburunt in poculis; & patrimonia degulant: adeò vt multi, præ continua ebrietate, nunquam sentiant se esurire. Multi etiam idcirco se se inebrient, vt conscientiaë stimulos, ob flagitia sua, fodicantes sopiant, aut saltem ad aliquot horas tranquillent. Hi parati sunt, ne peccatorum onere grauentur, onera alia adijcere; ac ne delectationem in gustu omittant, contra diuinas humanasque leges agere, atq; Dei gratiam amittere. Non dicam, esse aliquos adeò vecordes, vt ipsa sua pia alioquin opera, intemperantijs contaminent, exercitiumq; vir-

tutis temulentiâ inficiant. Nam quando vel pœnitentiæ rigore, & sanguine facto, quod deliquerunt, volunt extinguere, quando flagellis in terga, & peccata sua sæuire, nonnulli priùs vino intemperantissimè hausto, se muniunt, itaque stupidos reddunt, vt præ ebrietate ictus flagrorum non persentiscant, & fortasse aliquando nesciant, a sinumne, an hominem Deo mactent. Longè aliter Christus pro nobis satisfecit, qui per totos quadraginta dies & noctes, nihil omninò neque cibi, neque potus attigit: quin ipsa etiam in cruce, atq; ardentissima, ob effusi tanti sanguinis copiam, siti & ariditate positus oblatum sibi vinum, *cùm gustasset, noluit bibere.*

Matth.
27. 34.

S. Thom.
2. 2. q. 148.
a. 1.

S. Greg.
lib. 39.

Mor. c. 27
& lib. 31.
cap. 31.

1. Reg. 14.

Certè, si gula est immoderata cupiditas delectabilem secundum gustum, seu cibi ac potus inordinatus appetitus; vt è D. Gregorio S. Thomas docet, gula nos oppugnat & quoad modum, & quoad rem gustandam. In modo, si tempus non seruatur, aut si non refrænatur auaritia: in re, si exceditur in quantitate, pretio, aut præparatione. Itaque quinque vijs nos Gula vitium inuadit. 1. Quando indigentia tempora præuenit, maximè diebus ieiunij, vt Ionatham filium Saulis, quem adegit ad mel delibandum, ieiunij tempore nondum trans-

transacto, & alios ventri obedientes, qui quia
quandocunque, aut vbicunque pabulum in-
ueniunt, instar Harpyiarum inuolant, idè
animalium, non hominum numero compu-
tantur. Apud quos venter præcepta non au-
dit, poscit, & appellat nulla non hora. 2. *Si Numi ira*
cibos, vel potus lautiores quarit, vt Israëlitæ; 4
aut vetitos, vt carnem in quadragesima, vel
die Veneris & Sabbathi. De lautè cœnan-
tibus, *Et quibus in solo viuendi caussa palato est,*
porrò ita queritur Poëta: *Iuueni*
sat. 1.

Interea gustus elementa per omnia qua-
runt; *Petroni*
Arb. in

Nanquam animo pretijs obstantibus, inte-
rius si *Satyr.*

Attendas, magis illa iuuant, qua pluris
emuntur.

Sic deficiente crumena, Et crescente gula, dum
notè iam nauseantur & inamarescunt epulæ,
dum Iouis lac aut cerebrum, dum mellis
medulla quæritur,

Ingeniosa gula est, Siculo scarus equore
mersus

Ad mensam viuus perducitur, atque Lu-
crinis

Eruta littoribus vendunt conchylia cœnas,
Vt reuouent per damna famem. Iam Pha-
sidis unda

Orbata est auibus, mutoque in littore tantum

Sola desertis aspirant frondibus aure.

Stat. l. 4.

Ab miseri! quos nosse iuuat, quid Phasidiales,

Distet ab hiberna Rhodopes grue: quis magis anser

Extia ferat? cur Tuscus aper generosior Umbro:

Labrica qua resubent conchylia mollius alga?

Lucan. lib. 4.

ô prodiga rerum

Luxuries, nunquam paruo contenta paratu!

1. Reg. 2.

Hugo in claustr.

3. Gula præsto est, quando ea, quæ fumenda sunt, aliquis preparari accuratiùs appetit, ut filij Heli. Superstitiosum quidam nimis, in suis preparandis cibis, adhibent studium, infinita decoctionum, frixurarum, & condimentorum genera excogitantes ait Hugo, modò mollia, modò dura, modò frigida, modò calida; modò cocta, modò assa; modò pipere, modò allio; modò cymino, modò sale condita, secundum consuetudinem prægnantium mulierum desiderantes, ita quod sibi desudant coquorum artes, & fiunt varia questiones, utrum fieri debeant assata, vel frixa, vel elixa; & tanta solitudine preparantur, ut de-

horatis

voratis quatuor vel quinque ferculis, prima non impediunt nouissima. Et cum iam stomachus crebris ructibus repletum se indicat, nondum tamen curiositas satiatur. Isti videntur colere ventrem, tanquam Deum. Et quia solent Dijs templa construi, altaria erigi, ministri ad seruendum ordinari, immolari pecudes, thura concremari; Deo ventri templum est coquina; altare mensa; ministri coqui; immolata pecudes, cocta carnes; fumus incensorum, ordo saporum. 4. Et illa gulæ præclara est species, quando in ipsa quantitate sumendi mensuram moderate refectionis excedit, vt Sodomitæ fecerunt. Vna filua pluribus elephantibus sufficit: homo verò pascitur vix terra & mari. Fuit Heraclides pugil, teste Plutarcho, infiniti prope cibi potusque capax: non reperiatur illi compar in potando. Apud Athenæum, Amaranthus Alexandrinus scribit, Herodotum tubicinem Megarensis magnitudinis fuisse trium vlnarum cum dimidio, latera que fortia habuisse, ac sex panis semodios edisse, carnum libras viginti, binos vini congios ex argenteo non tam scypho, quam puteo bibisse. Sed magno ventri, magno opus erat pabulo; minusque est mirum, si Polyphemo vna in canam ouis & duo vini vtres non suffecerunt. Flavius

Ezechiel
25. 49.

Plutarchus
l. 1. Con
uiu. qq.
Athenæus
l. 10. c. 1.

Vopiscus memorat, Phagonem quendam Aureliano in delicijs fuisse, qui vno die, ad mensam Imperatoris, ederet aprum integrum, centum panes, veruecem & porcellum; biberit autem infundibulo ori appposito plus orca.

Iuuenal,
sat. 1.

Quis ferat istas

*Luxuria sordes? quanta est gula, quae sibi
totos*

Ponit apros?

immò sumit, & consumit? Si tamen consumit, & nō potius se occidit. Ne enim turgeas, aut ne crudus fias, *Bucca Noscenda est mensuratae.* 5. Sæuit gula, quando & abiectus

est, quod desiderat, & tamen ipso estu immensi desiderij deterius peccat, vt Esau, & innumeri.

Gen. 25.
33.

Si ergo his quinque modis gula delinquit, quàm multi sunt, qui vix manè surgunt, & à lecto adhuc calidi, statim ad offas currunt, statim absinthiacum, statim vinum sublimatum, vel, si hæc inopia neget, statim ad cereuisiam appellant? Quotus quisq;, expectat prandij tempus? quotusquisque non consumit plures horas vorando, quàm orando? Ipsi paruuli assuescunt ab incunabulis, toto die panem, pomum, saccharum, aut alia opsonia in manu circumferre, ac obrodere; ad hoc illis sacci & buccæ implentur; ad hoc nemi-

neminem volunt salutare, nisi crustula acci-
pian, aut melimela, quibus eos parentes as-
suefaciunt, immemores Anacreontem Teiũ
vux passæ acino strangulatum; aut saltem his
talibus palatum exsurdari. Certè multi etiã
opifices, ita delitijs se se assuefecêre, vt si quid
boni ac rari in forum venit, illud per vxo-
res præstinent. Quidam, in debitis vsque ad
aures demersi, malè vestiti, nullam supra ædes
integram tegulam, nullum in fenestrâ inte-
grum vitreum orbiculum habentes, quàm
primùm aliquot numulos lucrantur, illico
in forum mittunt vxorem, aut ancillam, &
pulos, gallinas, nefrendes, aues emi curant,
vt pecuniam, velut hostem, citò è domo
amoliantur. Hi, *uno die*, ait S. Ambrosius,
multorum dierum labores bibunt, & comedunt;
nimis parum de crastino, de liberis, de fami-
lia sua solliciti. Quin sæpe, apud vnum pro-
letarium, & in plebeia domo, plus piperis &
condimentorum absumitur, quàm apud mul-
tos opulentos, qui abstinere nõrunt, quia
nolunt egere. Quanquam nec isti sunt admo-
dum multi. *Hæc pestilentia*, ait Alanus, *non*
vulgari humilitate contenta profundius se porri-
git in Prælatos, qui salmones, lucios, ceterosq; pi-
sces æquipollenti generositate præsignes varijs de-

Politianus in
Nutricia.

S. Ambr.
lib. de
Helia &
ieiun.

Alan. de
cõplan-
tu natu-
ræ.

O s cœtio.

coctionum cruciatos martyrijs baptizati adul-
 terantes officium sacri piperis fonte baptizant:
 ut ex tali baptismo baptizati multiforme sapo-
 ris gratiam consequantur. In eadem mensa ter-
 restre animal piperis inundatione submergitur:
 piscis in pipere: avis eiusdem viscositate ligatur.
 Dumq; tot animalium genera, uno ventris ex-
 gastulantur in carcere, aquatile animal secum,
 pedestre aereumq; genus in eodem sepulchro intu-
 mulari mirantur. Quibus si detur licentia exe-
 undi, egressui vix porta sufficit amplitudo. Hinc
 plura crapulae pandenda sunt ostia; & vt
 Suetonius testatur, Claudius Cæsar conuiujs
 plus nimio deditus, vini cibi que appetentif-
 simus vsque adeo fuit, vt sæpe stomachum
 vomitu cogeretur exonerare. De quantitate
 plura non dicam, cum medici testentur, im-
 mo ipsa experientia, cum Sacra Scriptura, ita
 se se farcire multos, vt non solum plenus ven-
 ter non studeat libenter, seu, vt S. Hieronymus
 loquitur, *pinguis venter non gignat sensum te-
 nuem*, sapientiaq; vino obumbretur; sed eti-
 am in omnis generis morbos ebulliat; immo
 & paupertatem, & lites, & subitas mortes.
 Neque enim è gula nascitur duntaxat hebe-
 tudo sensus, inepta lætitia, ioci scurriles, mul-
 tiloquium, & spurcidi sermones, immun-
 ditia.

Sueton.
 in Claud.

ditiaque corporis, sed alia quoque innumera mala, velut è lerna prodeunt; immo ipsa mors. *Quidquid animi volat, quidquid piscium natat, quidquid ferarum discurret, nostris se- pelitur ventribus. quere nunc, cur subito moriamur? quia mortibus viuimus,* ait Seneca. Et *Cui va? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Nam etsi pugnare scyphis Thracum est, & barbarorum, scyphi tamen ipsi, & animum & bilem accendunt, atque ex humanissimo quoque barbarum faciunt; quin & egentem. *Operarius ebriosus non locupletabitur;* enimuero si locuples fuerit, ad incitas redigetur: quin & se ipsum occidit, qui nimium comedit, vel bibit. Siquidem *propter crapulam multi obierunt, qui autem abstiniens est, adiiciet vitam.* Hippocrates, ait S. Hieronymus, *in Aphorismis docet, crassa & obesa corpora, qua crescendi mensuram compleuerint, nisi citò ablatione sanguinis imminuantur, in paralytin & pessima morborum genera erumpere.* Et Galenus Hippocratis interpres, *athletas, quorum vita & ars sagina est, dicit in exhortatione medicina, nec uiuere posse diu, nec sanos esse: animasq; eorum ita nimio sanguine & adipibus*

Senec. 103
Rhet.
Prou. 23.
29.

Eccli. 19.1.

Eccli. 37.
34.

S. Hiero-
nym. l. 2.
contr. Iou-
uinian.

adipibus, quasi luto involutas, nihil tenue, nihil caeleste, sed semper de carnibus, & ructu, & ventris ingluvie cogitare. Valentinianus Imperator Quadorum legationi respondens, voce impetu sanguinis amissa, sensu integer expiravit. Quod ex intemperantia cibi ac saturitate, qua artus diffuderat, accidisse, multi derulere, vt tradit Sextus Aurelius Victor. Quo etiam teste, Septimius Severus Imperator, dum membrorum omnium, maximè pedum dolorem pati nequiret, loco veneni, cibum plurimæ carnis incoctæ avidius deuoravit: quem dum concoquere non posset, eruditatem passus, expiravit. Quin & Eusebius refert, Domitium Aphrum cibi superfluitate redundantem, in cœna periisse. Quod & Iouiniano Imperatori contigit. Certè Gregorius Turonensis author est, Childericum Saxonem, cum aliquando ad ambas aures vsq; cibo se ingurgitasset, eo suffocatum, & in lecto mortuum repertum fuisse. Andebuntus Anglorum rex quandoque tantum vini sumpsit, vt eo suffocatus repente excefserit. Sed in vino tot periêre, vt numerum superent. Antè tamen mens perit, quàm corpus. Quod Poëta Claudianus his versibus indicauit.

Luxurios

*Luxuries prædulce malum, quæ dedita
semper*

*Corporis arbitrijs hebetat caligine sensus,
Membrâq; Circeis effeminat acrius herbis.*

*Blanda quidem vultu, sed qua non tetrior
vlla*

*Interiùs, fucata genas, & amiçta dolosis
Illecebris, toruos auro circumlinit hydros.*

Illa voluptatum multos intexuit hamos.

Quod & Seneca dixit monens: Nullum ho-
stem tam contumeliosum esse in quenquam, quàm
in plerosque voluptates suas: quæ cum hominem
arripuerint, penitus submergunt, & subuertunt.

Adstipulatur & os aureum inquiring: Quod
equis accidere solet, id hominibus quibusdã, acci-
dit, ut quò copiosius ipsis suppetunt necessaria, hoc
euadant ferociores. Et iterum: Fumus abigit
apes, dona verò spiritualia fugat luxus; quem
Ægyptij hieroglyphicè porci simulachro ex-
presserunt, semper deorsum in terram atq;
pastum inclinati. Fames amica virginitati est,
inimica lascinia, ait S. Ambrosius, Saturitas
verò castitatem prodigit, nutrit illecebram.

Nihil hinc mirum, gulones, ponderoso
ventre depressos mentem non posse in cœlum
& cœlestia extollere; citiùs saturitate mori,
quàm homines osseos longâ inedia, atque ie-
iunijs

Claudi-
an. in
laudib.
Stiliconis
Paneg. 2.

S. Chryf.
hom. 2.
de ieiunio.
Pier. Va-
ler lib. 9.

S. Ambr.
serm. 40.

V.
G V L A
D E V S,
C V R I N I -
M I C O S

SVOS SI-
NAT PIN-
GVESCE-
RE?

iuuijs assiduis emaciatos. Illud mirissimum est, ieiunia meritos & æternam famem, à ieiunijs tantopere abhorrere, semperque ingluuiem cogitare; ast Dei seruos ambrosiã alendos, & nectare dignos, ad prodigium vsque cibo potuque abstinere. Nimirum vt porcos ad macellum & lanienam saginamus, venaticos autem canes, vt sint ad currendum & prædam capiendam citatiores, fame extenuamus; ita Orci pabula finit Deus pingue fieri, &, vt ignis habeat copiosius omentum, & alimentum, *ebrietas*, teste S. Chrystomo, *sues ex hominibus facit*; in libro vitæ ascriptos patitur corpore toto extenuari, vt per angustam portam minùs impeditè in cœlum possint penetrare, à qua, cura adipe & omaso suo, nitidæ cuticulæ, & lati ventres excluduntur; *similes illi, qui*, vt ait S. Augustinus, *epulabatur quotidie splendide*; ad cuius ianuam *iacebat mendicus Lazarus cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa eius, & nemo illi dabat*. Vt autem, teste S. Basilio, *ebrietas est demon voluntarius, malitia mater, virtutis inimica*, & vt S. Ambrosius addit, *fomentum libidinis, incentiuum insania, venenum insipientiæ; & ebriosi regnum Dei non possidebunt, sed ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum*:

S. Chryf.
hom. 38.
in Matth.

S. Augu-
stin. ser.
232.
Luc. 16.

S. Basil.
hom. 14.

S. Ambr.
c. 16. de
Elia &
ieiunio.
1. Cor. 6.
10.

eorum : ita abstinentia modestos, placatos, sobrios, prudentes, virgines, angelos facit. Quin & inter homines pacem concordiamque conseruat. *Cui va? cuius patri va? cui rixa? cui fouea? cui sine causa vulnera? Cui suffusio oculorum?* Nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? Qua de causa Heraclitus in seditione rogatus, ut apud populum sententiam diceret, quo pacto ciuitas redigi posset in concordiam, conseruato suggestu, poposcit calicem aquæ frigidæ & paululum farinæ insperfit, mox de glechone admiscuit, quod est vel pulegij siluestris, vel leguminis genus. Deinde, epotato calice, discessit, nec verbum addidit: hoc pacto innuens, ita demum ciuitatem carituram seditionibus, si, repudiatis delicijs, assuesceret paruo contenta esse. Hinc, apud Eremitas, nullæ lites, quia nullæ comotationes; hinc animi domiti & patientes, quia corpora abstinentijs stringuntur, ne insolescant. *His, qui bellicis rebus exercentur, ait S. Chryso- mus, quiq; palastris luctando desudant, conuenit ut ciborum copia reddant se ipsos corpulentos & obesos; videlicet, quò validioribus nervis labores queant capessere. Contra verò, quibus non est colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus*

Psal. 10. 6.

PROV. 23.
29.

ERASM I. 3
apoph.
ex Plu-
tarcho.

S. Chry-
som. 2.
de ieiunio.

aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, aduersus spirituales malitias; hos oportet per sobrietatem, ad ieiunium, ad certamen exerceri. Leuius periculum est, si quis Rhipsaspis appelletur, quod clypeum in acie abiecerit; quam si magnam illam armaturam ieiunium videatur abiicisse.

VI.
QVADRA-
GESIMAE
IEIUNIUM
STRICTE
OBSERVA-
TVM.

Psal. 26.

Hac de causa, (vt ad historiam redeamus) in monasterio, ad quod Zosimas ab Angelo missus est, moris erat, vt primæ hebdomadæ ieiuniorum Dominicâ die, Ascetæ singuli diuinis sacramentis muniti, atque Christi corpore & sanguine pasti, modicoque cibo refecti, vnâ in oratorium conuenirent, & flexis poplitibus, orationeque ardenti ad Deum fusa, se inuicem consalutarent, Abbatemque amanter amplexi benedictionem solennem peterent. Patefactis inde monasterij foribus, clara voce cantantes exhibant. Cantabant autem: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, à quo trepidabo?* Vix vnus, aut alter, in rerum custodiam, domi manebat. Ceteri, aut caricas, aut palmæ fructus, dactylos, aut legumina, aut etiam nihil, præter vestem, secum efferebant, propria quadra, hoc est, thymbra & folis radicibus ac herbis victuri. Ibant autem
 trans

trans Iordanem, non vt conchas legerent,
 aut vt sciuros caperent, sed ita, vt à se quis-
 que vago pede discederent, neque vllus in al-
 terius conspectum veniret. Nempe soli diui-
 nis meditationibus, cantui sacro, ac ieiunijs
 vigilijsque tantò impensius vacare potue-
 runt. Sic verbis, cibis, potibus, somno, &
 omni solatio humano abstinentes, omnes ie-
 iuniorum dies, asperrimè celebrabant, nec,
 nisi ante viuificum Dominicæ Resurrectionis
 diem, ad monasteriũ reuertebantur. O quan-
 tum ab his distant nostri seculi ieiunia? Mul-
 ti nunc dubitant, an ad ieiunia obligentur;
 multi cùm vel noctu se se maximè abstinere,
 existimant, tantùm panis, opsonij, aut lactu-
 cæ absument, quantum illi sanctissimi viri,
 cùm sunt, in ipsa Paschatis festiuitate, epu-
 lati. Multi potu famem suffocantes, quia ne
 buccam quidem panis, inter bibendum, at-
 tingunt, de ieiunio sibi plaudunt, postquam,
 vna computatione viginti quinque albæ ce-
 reuisiæ mensuras, per vnum ventrem perco-
 larunt. Nempe apud eos, apud quos, *qui plus
 biberit, fortior computatur: vomunt, vt bibant,
 bibunt, vt vomant*, ait S. Hieronymus, & sæ-
 pè etiam, vt animam euomant.

JIV
 SAMSON
 MESSIAS
 INCORNI
 TAN IN
 SOLITA
 ERNE RE
 ERNE

S. Hiero-
 nym. in
 ep. ad
 Tit. c. 11

P

Zosimas

, ad-
 , ad-
 brie-
 Le-
 etur,
 gniam
 isse.
 mus)
 ngelo
 nadæ
 li di-
 cor-
 refe-
 flexis
 eum
 nque
 nem
 ibus,
 ant
 mea,
 à quo
 n cu-
 ricas,
 mina,
 fere-
 ra &
 utem
 trans

VII.
ZOSIMAS
MVLIEREM
INGOGNI-
TAM IN
SOLITV-
DINE RE-
PERIT.

Zosimas, more cæterorum, Iordane transito, non solum vigilijs, jeiunijs, & assidua ad Deum oratione se se exercebat; verum etiam jam discere exercitationes religiosas, quàm docere paratior, viginti dierum itinere, per omnia inuia & auia discurrebat, vt aliquem virtutis magistrum, in desertissima solitudine, reperiret. Solebat autem, constituto diei tempore, figere cursum, & vel stans psallere, vel genu flexo orare ad Orientem. Peracta igitur tanta via, ita oranti, vmbra quædam humani corporis, ad dexteram, apparuit; qua percussus, Orcinum aliquem spiritum esse existimans, cruce se muniuit. Videbatur autem vmbra illa tanto terribilior, quia in corpus quouis Æthiope nigrius, capillos demittebat à vertice, niue candidiores; qui tamen vltra ceruicem non defluebant, vt cani leonis iubæ viderentur. Cruce munitum timor omnis deserebat; venitque in spem Magistri tantopere expetiti adipiscendi. Sed spem illico turbauit fuga vmbrae se protinus subducentis, tantoque magis Occidentem versus celerantis, quanto ille magis sequebatur fugientem. Acuit desiderium vires, & tardam senectutem velocem fecit, pedibusque alas addidit cupiditas alloquendi;

quendi; adeò vt properantem poenè asse-
queretur. Iamque ita propinquus, vt audi-
ri posset, lacrymans clamauit: *Cur me fugis
decrepitum ac peccatorē, serue Dei? Verè sustine
me, per Deum, quicumque es, pro cuius nomine
hanc inhabitas solitudinem. Sustine me infirmū
& indignum. Sustine me pro spe, quā habes pro
tanti laboris remuneratione. Sta, & tribue ora-
tionem, & benedictionem seni, per Deum, qui ne-
minem aliquando proiecit.* Hæc atque alia
talia clamauit, suspirijs, & lachrymis inter-
mixtis Zosimas, & ferè jam, præ lassitudine,
progredi non valens. *Tunc illud corpus, quod
fugiebat, vocem talem emisit: Zosima, ignosce
mihî, propter Deum, quoniam manifestare me
tibi conuersa non possum. Mulier enim sum, &
omni corporeo tegmine nuda.* Pallium ergo pe-
tenti auersus proiecit, admiratus nomen suū
ab ea teneri. Quæ pallio inuoluta dixit: *Cur
venis ad peccatricem?* Ibi ortum est pium
modestix certamen. Nam ille ad pedes eius
se abiciens petijt benedictionem; quam il-
la vicissim humi prostrata ab illo, tanquam
presbytero, potiore se jure postulare, est
protestata. Vicissim autem Zosimas contem-
debat, illamque, quæ ignotum nomine suo,
non nisi diuinitus cognito, vocasset, gratia
P 2 plenio-

pleniorem esse dicebat, cogebatque infimis & summis precibus loqui priorem. Tum illa, ita orsa est. *Quandoquidem te S. huc duxit Spiritus, ad me solandam: Dic mihi, quomodo hodie Christianissima regitur tribus? quomodo Imperatores? quomodo S. Ecclesie pascitur grex?* Tanta est sanctis etiam ibi, ubi hostem & bellum non timent, pro communi bono, cura ac sollicitudo. Quam utinam imitarentur illi, qui inter tot tumultus, ac pericula, nunquam cogitant, ad se quoque pertinere, ut orent, ut Deum placatum reddant, belli que impetum sistant. Zosimas respondit, quod utinam hodie, ad unumquemque diceret: *Mater tuis orationibus sanctis pacem stabilem Deus largitus est.* Post hæc eam rogavit, ut pro mundo, proque se peccatore aliquantisper oraret; quæ ad Orientem conuersa, dum manus & oculos ad cælum tolleret, corpore quoque toto, quasi cubitum unum à terra est in aërem sublimis eleuata, atque tacite orans inter cælum & terram sine alis immota pendit, Zosimâ cohorrescente, ac denuo timente, ne spiritus esset, qui se fingeret orare, fallaciam machinaturus. Ad hæc talia cogitantem conuersa illa, *Quid, aiebat, cogitas? Spiritum me esse, & orationem fingere? Peccatrix*

trix sum, sacro tamen baptisate initiata, & non spiritus, sed fauilla, & cinis. Cum dicto, crucem manu sacram fronti, oculis, labijs, pectori impressit; Stygiumque hostem procul facessere iussit. Quod ubi vidit Zosimas, rursum ante eam prostratus, per Deum è Virgine natum, eam sanctissimè obtestatus est, ut panderet sibi, quæ, & vnde nam esset, & quando, vel ob quam causam, solitudinem illam, tanquam Nephaliæ lignum inhabitasset? se enim & fructum inde reportaturum, & idcirco à diuinâ Prouidentia illuc videri missum, ut illius vita sibi & toti in exemplum mundo manifestaretur.

Hæc dicentem mulier, manu sub cubitum eius leniter subiectâ, de terra leuauit, atque in hunc modum cœpit præfari. Verè erubescō, Pater, quia erubescenda feci; itaque infanda, ut si narrare cœpero, castis tuis auribus non sis toleraturus. Sed, ad me in ruborem dandam, recensebo meas insanias; atque, ut tu pro me Numini supplex fias, hîc confitebor flagitia mea, ne, in die iudicij, à misericordia eius repellar. Ad hoc exordium sene illachrymante, ita postea perorauit: *Ego, Pater, patriam quidem Ægyptum habui, bonis parentibus oriunda. Sed paruulam adhuc Sire-*

P 3

nes

VIII.
ÆGYPTI-
ACAE MA-
RIAE IM-
PVRA VI-
TA.

res deceperunt, traxeruntq; in turpes voluptates.
 Annum aetatis duodecimum agebam, quando,
 viuentium adhuc parentum amore spreto, ad-
 noxiam aspiravi libertatem. Itaque ab illis me
 proripui, & Alexandriam veni. Ibi, heu, in quas
 non scopulos incurri? Neq; satis fuit, naufra-
 gium fecisse virginitatis. Primus casus initium
 fuit insatiabilis cupiditatis. Neq; corpus meum,
 lucri causa, prostituui, ut alia solent meretrices, sed
 immensa libidinis furore incensa, ut plures in se-
 culus allicerem, etiam à mercedem dare volentibus,
 nihil accipiebam; potiusq; mendicatò viuere, aut
 eolu vitam volebam sustentare. Ibi decem & se-
 ptem, & eò amplius annos, in hoc luxuria ster-
 quilinio, me volutavi; neq; ullam pratermissi oc-
 casionem, qua alios possem, in hoc barathrum pra-
 cipitare. Talis dum essem, vidi Libyorum &
 Egyptiorum turbas cateruatim ad littus ma-
 ris excurrentes. Et, quia, inter multos, semper
 amabam esse, quasi ex obuijs, quonam prape-
 rarent? à quodam igitur intellexi, eos Ierosoly-
 mam tendere, ad sacrosanctam Christi crucem
 deuenerandam, cuius celebritas in proximo esset.
 Cognoscite hîc, peregrinationes sacras, in-
 diuinis litteris laudatas, & alioquin viles, sa-
 pe tamen, pessimâ mente suscipi, multosque,
 per speciem pietatis, libidinem quærere, &
 dum

dum multum peregrinantur, raro sanctificari. Nam & hæc mulier, tempore sacro, & voluntate sancta, ad Redemtionis nostræ terram ituris se admiscuit, voluntate minimè sanctâ: cumque neque viaticum, neque naulum haberet, tamen nauim audacula conscendit, se ipsam pro nauulo traditura, & multos blanditijs irretitura. Hæc mens erat peregrinantis. Numquid meritò S. Hieronymus dixit? *O ignis infernalis luxuria! cuius materia gula, cuius flamma superbia, cuius scintilla praua colloquia, cuius fumus infamia, cuius cinis immunditia, cuius finis gehenna.* Huc & ista mulier tendebat, quæ non ardebat ipsa duntaxat, sed etiam incendium in alios propagabat, nihil omittens eorum, quæ inter *opera Rom. 13. tenebrarum* numerantur. In nauim, quos sermones iecerit, quæ opera exercuerit, ipsa falsa est Zosimæ, à se neque præ multitudine numerari, neq; præ turpitudine exprimi posse. Nam iuuenari assueta in primis vectores ad risum & iocum, postea ad scelus induxit, omnium facinorum non iam discipula, sed magistra; etiam diu nolentes tandem compellens ad peccandum. Quibus prolixiore questu & lamentabiliter narratis, adiecit: *Ego quoties itineris illius reminiscor, obstupesco, quo*

P 4

pacte

pacto meas tunc mare sustinuerit impuritates, aut
 cur terra debiscens me cum nauis & ipsis aquis
1. Tim. 2. viuentem non in infernum demerserit. Sed nimirum,
 meam Deus, qui neminem vult perire, sed
 omnes saluos fieri, expectabat poenitentiam. Non
 enim vult mortem peccatoris diu tergiuersantis.
Ezech. 18. Ierosolymam ubi peruenimus, ante festum; per
 eos interim ego dies, prater iuuenes cum quibus
 nauigavi, multos ciuium, multos peregrinorum
 seduxi. Tantum una mali potest femina, si mala
 est. Ita quidem tunc, in loco sancto, impie vixi,
 & eos, qui pietatis causa venerunt protraxi ad
 impietatem. Quin ipsa quoque in festiuitate exal-
 tata S. Crucis, videns, primo diluculo, undique,
 plenis vijs, ad templum fieri concursus, cucurri
 & ego, non oratum, sed ut satiarem oculorum cu-
 riositatem, & aspicerem, quod concupiscerem. Veni
 in atrium templi, veni ad ipsam usq; ianuam,
 & populo confertim ingrediente, sola ingredi non
 poteram, quantumuis luctarer, occulta vi mihi
 obsistente, ac me retro agente; adeo ut me repul-
 sam usque in atrium solam stantem animaduer-
 terem. Cum autem existimarem id mihi ob mu-
 liebrem contingere infirmitatem, denuo mihi vim
 intuli, denuo in templum eniti tentavi. Sed de-
 nuo frustra, diuinaq; manu procul inde reiecta.
 Mirabar autem id mihi soli accidere, cum cete-
 ros

ros viderem, sine vlllo impedimento admitti. Hoc terq³ quaterq³ conata, terq³ quaterq³ sum exclusa. Quod, quàm multis contingeret, si Deus, ad omnes templorum fores, sicut olim collocavit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atq³ versatilem, ad custodiendam viam ligni vite, ita & hîc apponeret Angelos excubitores? Sed certura est, tales esse custodias, ne immundi in cœlum intrent.

Gen. 3.24

Quia iniqui regnum Dei non possidebunt: neque fornicarij, neq³ adulteri, neq³ molles, neque masculorũ concubitores: nisi pœnitentiam agant, ad quam eos diuina bonitas magnis vocibus vocat,

1. Cor. 6. 9.

Matres, vt sui desiderium excitent, sæpe à se liberos repellunt, seque abscondunt, neque sinunt videri. Ad harum morem, Deus sæpe hominem repellit, manuq^{ue} subducta, finit sentire, quid sit à cœlo esse derelictum.

IX.
ÆGYPTI-
ACAE MA-
RIAE
CONVER-
SIO ET
PŒNI-
TENTIA.
Psal. 82.
17.

Qua de causa benevolè orans David ait: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine. Multi enim tum demum in se verè descendunt, postquam intelligunt, quantum à Deo Deiq^{ue} vijs descenderint, quantumq^{ue} & quàm meritò ab illo contemnantur. Itaque & mulier illa, in ipsis templi foribus, toties repulsam passa, & vi com-

primentium turbarum in templum intrare
 contendentiū fatigata, vbi de templi ingressu
 desperavit, tristis ad quendam atrij angulum
 recessit, cogitareque secum cœpit, cur alijs
 admissis ipsa adeò prodigiosè, ab intuendo
 viuifico S. Crucis ligno, arceretur? Neque
 longa opus erat indagazione caussæ, illico
 se se illi offerebant plenę ingentium scelerum
 cateruæ. *His nimirum, aiebat, & templum, &*
calum mihi clauditur! In fletus itaque vberri-
 mos diffusa, pectus cœpit tundere, suspiria
 ex imo pectore petere, & eiulans se ipsam de-
 testari. Quod dum faceret, fortè factam dæ-
 dalè Dei Genitricis statuam, præ templi fo-
 ribus in sublimi stantem, vidit. Vidit, &
 in hæc verba erupit. *O Dei Mater, ô Virgo im-*
maculata, scio quàm indigna sim te compellare,
quàm digna à te reijci, ob tot abominanda facino-
ra; quia tamen audiui, Deum ob hoc hominem
factum, quem genuisti, ut peccatores vocaret ad
pœnitentiam, rogo te, omni alia ope destitutam
adiuuā, & aditum mihi ad Ecclesiam impetra,
ut conspecta crucis arbore, in qua Filius tuus pro
me sanguinem fudit, seculo, & omnibus, quæ in eo
sunt, meaq; conscelerata consuetudini renunciem,
eoq; egrediar, quò me ipse iusserit. Dixit, & fidei
 calore incensa ad Misericordiæ Matrem se
 conuer-

conuertit, diuinæque clementiæ spe plenissi-
ma sacræ ædis aditum denuò tentauit. Nec
iam diu fuit laborandum. Remora omni
sublata, liberè, & sine impedimento intrauit.
Ita & templi, & *cali ianuam* angustam ex-
perta, postquam admissa est, adhuc ingenti
formidine trepidans, in terram, ante depictam
B. Virginis Dei Matris imaginem se se pro-
strauit, osculisque pauimento mille impressis
S. Crucis ligno debitè adorato, Deiparam sic
est allocuta. *Tu, ô benignissima Domina, sem-
per quidè misericordia tua fontes aperis, sed nunc
maximè in me declarasti, quàm magnum sis re-
fugium peccatorum; per te enim omnipotens
Deus peccatores ad pœnitentiam recipit. Non
possum diuinæ bonitatis tuæ misericordie Oceanũ
eloqui. Vidi gloriam, quàm peccatores meritò non
videmus, gloriam omnipotentis Dei maximos eti-
am peccatores recipientis. Sed quid moror? tem-
pus est recipiendi, & eundi, quò tu jubes, ô
Mater, ô salutis meæ dux, Maria.* Hæc orans
vocem nescio vnde vicissim audiuit, quæ eam
iussit ultra Iordanem transire. Extemplo
surrexit, &, non sine multo fletu Deiparæ
imaginem, aspiciens exclamauit: *Domina,
Domina, Regina totius orbis, noli me derelinque-
re.* Hoc vltimum Vale Virgini dixit, & è tem-
plo

plo recessit. Exeunti ex atrio quidam ignoti
 vultus tres nummos dedit, quibus illa toti-
 dem panes coëmit, & sub solem adhuc occa-
 sum ad templum S. Io. Baptistæ Iordani flu-
 uio adsitū venit, in quo multis mistas lachry-
 mis preces obtulit, & SS. Ecclesiæ Sacramen-
 tis munita, in alteram fluminis partem dela-
 ta, Matrem Dei denuo ducem itineris ex-
 petijt, atque illa ducente in eam, de qua di-
 ximus, solitudinem peruenit. In qua quid
 egerit, ipsa Zosimæ enucleata narratione ex-
 posuit. 1. In ea ab omni hominum confor-
 tio seiuncta, nullaque vnquam humanā fa-
 ciē aspectā, constantissimè permanit. Nam
 secundo non permanit vno duntaxat, aut
 octo diebus, vt illi solent, qui colligendi ani-
 mi sui causa secedunt; sed ad eum vsque
 diem, scilicet quadraginta septem integris
 annis. 3. Quia, eo die, quo SS. Eucharisti-
 am sumserat, dimidium panem comedit,
 duos tantum & semis habuit reseruatos, eos-
 que lapidis instar solidissimè induratos, ijs,
 ac herbulis tempus omne reliquum vitamque
 traduxit. 4. Quoniam autem à iuuentute
 delicijs ciborum, ac vini pretiosioris potui,
 florisque nectaris, vsque ad ebrietatem dedi-
 ta, & femina Ægyptia Græco more bibere
 con-

consueta erat; à vino in Venerem inflama-
mata, probè experta est, cur dixerit Aposto-
lus: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria;*
aut quamobrem, apud Romanos, non leuiùs
in feminâ temulentia, aut vini vsus, quàm
adulterium, sit punitus. Neque à vinolentia
in vagas libidines duntaxat est prolapsa,
sed etiam (vt multi exercitati alioqui Reli-
giosi gastrimargiæ vitio tentantur) in ipsâ
solitudine, ab Apicijs, & Trimalcionis penu
remotissima, per totos septendecim annos,
grauissimas secum ipsa identidem pugnas
coacta est depugnare. Desiderijs belluinis
æstuabat. Iam aues, iam pisces, quibus
Ægyptus abundat, iam alia tragemata &
ipsæ Sybariticæ mensæ ante oculos illi versa-
bantur; jam vini sibi Græci, jam Hispanien-
sis videbatur dulcedine permulceri; cuius
hauriendi cupiditate pœnè rumpebatur. Pla-
to generosum conspicatus adolescentem, pa-
trimonio consumto, ad fores pandochij pa-
nes edentem, & aquam bibentem, vt Maxi-
mus refert, in hunc eum modû est allocutus:
Si sic moderatè prandisses, nunquam sic canares.
Ad eundem modum hæc mulier, nunquam
tanta se fame tantaque siti cruciasset, neque
verò tam vehementes passa esset tentationes,
nisi

Ephes. 5:
18.

Gell. lib.
10. c. 23.
Valer.

Max. l. 2.
c. 1.

Plin. lib.
14 cap. 13.

Tiraq. de
legib. cõ-
nub. l. 9.
n. 54.

nisi priùs cibo potuque excessisset. Inedià igitur crapulam, temulentiam siti castigauit. 5. Accessit, quòd in æstiuo sæpè solo, & aridis locis, nec aqua quidem suppetebat. Vnde, exustis faucibus, siti que tristissimâ poenè extabescebat. 6. Quodque magis mirum, inter has corporis tam seueras afflictiones, ingenti desiderio vexabatur modulandi turpes cantilenas, quibus antehac assueuerat. Quam tamen tentationem pellebat, cum in memoriam reduceret, se stare ante B. V. imaginem, coram qua in scelerum suorù cognitionem venit, ac summo mentis ardore sibi ipsa decreuit seriam vitæ pristinæ emendationem: simulque eandem Dei parentem rogauit, vt foedas illas afflictæ cogitationes procul effugaret. Quibus precibus modisq; & petulantes carnis vicit insultus, & mirificam quandam sensit menti infundi lucem. 7. Quanquã, non posse à se enarrari dixit, quantis ignibus succensa identidem exæstuarit, cogique se propemodum putauerit in assuetas olim relabi voluptates. Semper tamen vicit, quia semper hūmi prostrata Virginum. Virginem in auxiliū vocauit; lachrymis simul furorem extinguens corporis spiritui rebellantis. Et hoc quidem per 17. annos, vt dixi.

dixi. Quanquam autem postea vehemens ille furor defœuijt, non tamen fuit vitium hoc penitus debellatum. Bellum vsque ad vitæ finem durauit de reliquijs inueteratæ consuetudinis gliscens. Tantum sibi laboris parit, vt extricetur, qui in hoc se lutum immergit. 8 Interrogata autem à Zosima, de cibo, deque vestiendi genere, respondit, duos illos sibi panes cum dimidiò, per 17. annos suffecisse, postea herbis duntaxat se vsam: has sibi fuisse Saliarès dapes. 9. Veste consumpta, affirmauit se, incredibile, per hyemes, cœli frigus, intolerandos, per æstatem, solis ardores passam, ac sæpe propemodum assatam ac concrematam fuisse, certè exanimem nonnunquam diu, ac sine sensu iacuisse. Vnde & Illyrica pice nigrior est effecta, cuti contracta, & sanguinè ad extima corporis vocato. 10. Ceterùm mirè se roborari sensit, quoties recordabatur, quantis vitæ, quantis animæ periculis erepta esset; & quòd *non in solo pane viueret homo.* Ita enim & scripturas exactè recitabat, quæ Zosimæ fassa erat, litteras se nunquam didicisse. Longè verò etiam alia prophetico spiritu perspicuè cognouerat; nam postquam orationes eius expetit, rogauit insuper, ne sequente anno,
iuxta

iuxta Cœnobij sui canonem, tempore quadragesimæ Iordanem transfret, sed pridie, Dominicæ cœnæ, sub vesperam, ad Iordanem SS. Eucharistiam afferret, se enim ad eum usque diem, ex quo in S. Ioannis Baptistæ templo corpus & sanguinem Christi sumpsisset, sacro illo ferculo caruisse; & cupere eum diè colere, quo Christus discipulos corporis sui sanguinisque participes fecisset. Iussit præterea Zosimam arcana quædam Abbati suo significare, quæ in illius monasterio lima atque emendatione indigerent.

X.
M A R I A E
Æ G Y P T I -
A C A E
P O E N I -
T E N T I A M
I M I T A N -
D A M E S S E .

Matth. 21.
31.

Quibus omnibus ordine auditis, Zosimas pronus illum terræ locum osculatus est, in quo pedes illius mulieris tam sanctæ vestigia reliquerunt; reuersusque ad monasterium suum Deo laudes gratiasque dixit, quod sibi ostendisset, quantum adhuc à peccatricis illius, ne dum ab alterius innocentis perfectione in eum diem abfuisset. Iamque humilior factus, sibi suique similibus dictum agnouit in remedium superbiæ: *Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei.* Quod si tantus tamque asperæ vitæ vir à Maria Ægyptiaca, (ista enim fuit hæc mulier, cuius hodie Natælis agitur) didicit opera pœnitentiæ, & meliorem à cibo potuque

potuque abstinendi, corpusque exercendi, & peccata deflendi rationem; quid nos discere oportet? *Væ tibi Corozaim, vae tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, quae facta sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiâ egissent. Veruntamen dico vobis, Tyro & Sidoni remissius erit, in die iudicij, quàm vobis.* Consumitis tempus & annos, in omni vanitate, superbia, luxu, cupiditate, odio, & intemperantia, & cœlum speratis? Cur? quia ista omnia confitemini? non satis est. Si vultis Deum placare, *facite fructum dignum pœnitentiâ. Quo autem modo, ait S. Chrysostr. fructificare poterimus? Si utique peccatis aduersâ faciamus. Aliena rapuisti? Incipe donare iam propria. Longo es tempore fornicatus? à legitimo quoque usu suspendere coniugij, ac perpetuam continentiam sapius paucorum dierum, castitate meditare. Iniuriam vel opere cuiquam, vel sermone fecisti? refer benedictionis verba conuicijs, & percutientes te nunc officijs, nunc etiam beneficijs placare contende. Neq; enim vulnerato sufficit ad salutem, tantummodo spicula de corpore euellere, sed etiâ remedia adhibere vulneribus. Delicijs antè, & temulentia difflebas? ieiunio, & aquae potus utrumque compensa, ut famem superes imminentem. Vidisti impudicis*

Q alienum

Matth. 11.
21.

Luc. 10.

Matth. 3.

S. Chryf.
in Matth.
hom. 10.

alienum decorem oculis? feminam iam omnino non videas; maiore tactus cautione, quò tutior post vulnera. 1. Itaque, qui peccata sua sacerdoti confessus est, & certam plenamque peccatorum absolutionem obtinuit, sublata suppliciorum æternorum obligatione, cui obnoxius erat, tamen illud meminisse debet:

Eccli 5, 5.

De propitiato peccato noli esse sine metu: restat enim plerumque temporaneæ cuiusdam pœnæ debitum, vel in hac, vel in altera vita dissipandum. Nam per absolutionem pœna æterna in temporalē mutatur. Qua de causa sacerdos satisfactionem iniungit pœnitenti clauium potestate. Et proculdubio magno-pere à peccato reuocant, & quasi freno quodam coërcent hæ satisfactoria pœna, cautioresq; & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt.

Concil.
Triden.
sess. 14.
c. 8.

Luc. 7. 49.

Numquid Christus Magdalene dixit: Remittuntur tibi peccata? Et tamen quantam illa pœnitentiam egit, in omni vita? Multi eam etiam peccatis superant; sed pœnitentiã non æquant. 2. Ah quid dico? æquant? Ecclesie ieiunia non seruant; nulla in re sibi ipsis sunt duri; delicias in cibo & potu quærunt; collum sibi gruis optant, vt esculentis & poculentis tantò impensius, quantò diutius oblectentur; & cibum eò suauiore iudicant, quò

Ælian.
l. 10. var.
hist. c. 9.

quò maiore sciunt precio emtum: omnia genio indulgent: cuticulam semper curant, quam alij flagris lacerant; cuncta opera pœnitentiæ fugiunt; solitudinem, orationes, meditationes, ieiunia, cilicia, humicubationes oderunt, vt anguem. 3. Quid hæc commemoro? Olim graues & certæ satisfactiones, iuxta canones pœnitentiales, imponebantur, & ad pœnitentis bonum, & ad Ecclesiæ ædificationem. Nam Tertullianus, Christianorum in primitiua Ecclesia describens pœnitentiam, testatur, extra Ecclesiam solitos stare, in lugubri veste, sacco & cilicio indutos, & cinere caput conspersos. Et primo quidem die Quadragesimæ, tondebantur viris pœnitentibus crines; qui nullis conuiujs poterant interesse, non balnea adire, nec equitare, nec adesse spectaculis, ac honestis etiam recreationibus sibi debebant interdiceret; immo, quàm diu in numero pœnitentium erant, Sacramenta eis non administrabantur, nisi in Paschate, aut morte; immo & tunc carebant extrema vnctione. Quæ satisfactio, iuxta grauitatem, aut multitudinem peccatorum, breuior aut longior erat. Immo, ob quædam peccata trium, quinque, septem, aut decem annorum, in cilicio, ieiun-

Q 2

nij,

Vide Belarm. t. 2. Contr. lib. 1. de Pœnit. cap. 21. & 22. Tertul. lib. de Pœnit. optat. lib. 2.

Climac.
grad. 5.
Niceph.
li 12. hist.
Eccl. cap.
40. **Carol.**

Sigon. de
Occid.
Imp. l. 9.
Baron.
An. 390.

Ribad in
vita S.
Romual-
di 7. Febr.

nijs, & oratione proluxa, iniunctam fuisse
pœnitentiam ait. Mira sunt, sed nimis lon-
ga, quæ Climacus de pœnitentibus refert.
Nec plebeij tantùm, sed Principes & Reges
eiuscemodi pœnitentias subierunt. Theodo-
sius Imp. Thessalonicæ, ob vnus ex aulicis,
in populari tumultu, occisi necem, ira excan-
descens, specie spectaculorum exhibendorũ,
ciues, ad septem millia, in vnum locum con-
gregatos occidi iussit. Ob quod factum à S.
Ambrosio, integro ferè anno, à communio-
ne fidelium remotus, templorum aditu pro-
hibitus, & alijs pœnitentiæ actibus exerci-
tus, non antè in gratiam admissus est, quàm
palam humi prostratus, ab omnibus veniam
crudelitatis postulasset. Otho Cæsar, ob vni-
cum homicidium, Româ ad Garganum vsq;
montẽ, nudis pedibus tetendit, & tota Qua-
dragesima, in Cœnobio, inediâ, cilicio, hu-
micubatione se afflixit. Quid æquum est, nos
facere? immo quid multi faciunt? leuissimis
pœnitentijs à Confessario impositis indig-
nantur, eas differunt, omittunt, ad alios
Confessarios currunt, & permutari cupiunt.
Quid potest imponi æquale peccatis æternũ
ignem promeritis? Quid sunt opera nostra
omnia, quid modus satisfaciendi, si cum
Magda-

Magdalenis, cum Maria Ægyptiaca, cum S. Petro, cum Dauide comparentur? opera per quæ satisfit, & grata Deo esse debent, & quâdam habere difficultatem. Si enim per illa placandus est Deus, debent illi esse accepta, atque in eius honorem cedere: & quia per eadem puniendus est peccator, ac peruersitas prauæ conuerſionis ad creaturam vindicanda, necesse est, vt habeant aliquam molestiam. Quo modo igitur satisficient, qui molestiam nullam patiuntur? Cur quidam de pœnitentia sibi imposita conqueruntur? Cur ipsi non illâ augent? cur non petunt à Confessario maiorem, cum à Confessario iniuncta maioris sit meriti, tum ex obedientia, tum ob vim, quæ illi ex Sacramento & meritis Christi accedit. Accedit quoq; ieiunio & abstinentiæ quadragesimali nō tantum temperantiæ, sed etiam obedientiæ meritum. Ideo enim lex statuitur, vt pareamus; ideo prohibetur cibus, vt restringatur appetitus. Quia, vt S. Gregorius ait: *Non cibus, sed appetitus in vitio est: unde & lautiores cibos plerumq; sine culpa sumimus, & abiectiores, non sine reatu conscientia degustamus.* Et, vt S. Bernardus ait: *Melius est exiguo sanguine ad usum vesci, quam ventoso legumine usq; ad ructum exaturari; præcipue*

S. Greg.
lib. 30.
Moral.

S. Bernardus
in Apo-
log.

*cipue cum & Esau non de carne, sed de lente sit re-
 prehensus; & de ligno Adam, non de carne dam-
 natus: & Ionathas de gustu mellis, non carnis,
 morti adiudicatus. E contra verò Elias inno-
 xie carnem comedit, Abraham Angelos gratissi-
 me carnibus pavit, & de ipsis sua fieri sacrificia
 Deus precepit. Atque inibi idem S. Pater ait:
 Paulus Timotheo Modicè vino utendum consul-
 uit: & Dominus ipse bibit, ita ut vini potator
 appellatus sit, Apostolis quoque bibendum dedit.
 Insuper ex eo Sacramentum sui sanguinis edidit.
 Non ergo creatura contemnitur, quando
 certo cibo potuè abstinetur, quibus vfos
 sanctissimos viros constat; sed vel obedien-
 tia attenditur, vel ingluuies stringitur, vel
 peccatum expiatur. Et sanè, si contraria
 contrarijs sunt curanda, rectissimè gulam in-
 edia, & sobrietas corrigit ebrietatem. Quam-
 obrem & Ægyptiaca Maria meminsit se
 saturitati lasciviam iunxisse, ieiunijs & ab-
 stinentia vtrumque vitium castigavit. At tu
 fortasse, qui hæc audis, non putas tua pecca-
 ta, peccatis huius mulieris paria esse? For-
 tasse sunt etiam maiora. Sed esto sint mino-
 ra. Qui animam suam æstimant, etiam ob
 parva delicta magnas pœnitentias subierunt.
 Victorinus, ob vnum concupiscentiæ motum
 admittit*

Sur. 5. lu-
 vij.

admissum, à diabolo deceptus, per tres annos, fissa arbore manus strinxit. Arbori crucis, & continuæ pœnitentiæ nos astringamus, tunc merebimur morte beatâ Mariæ Ægyptiacæ obire.

Ad quam, vt, cum S. Eucharistia, post annum, dicto die, rediret Zosimas, morbo, ex illius prædictione, detentus est, ne ante tempus è cœnobio, cum ceteris, exiret. Exiens autem, destinato die, vidit illam, signo crucis facto, siccis vestigijs, per Iordanem, ad se venire; sumtaque sacra communione, iterum prodigiôsè calcatis aquis redire. Quâ anno sequente, eodem rebitans defunctam, inuenit, ascriptâ in pulueribus epigraphæ, qua eam iubebatur sepelire. Et sepeliuit, sed, leone terram duritiâ senis vires superantem effodiente. Ita Deus sanctis Angelis quoque, in manus tradit mortuos, qui in Domino moriuntur; sicut Zosimæ tradidit Mariam pœnitentem: quæ tametsi alia mira multa fecit, illud tamen inter maxima debet non illius, sed aliorum mira numerari, quòd plures habeat luxuriæ suæ, quàm pœnitentiæ imitatrices ac imitatores. Si sapitis, ô peccatores, & peccatrices, Dei (etiam meretrices, & adulteras, & fornicarios ad gratiam recipientis)

Q 4

piensis)

XI.
MARIÆ
ÆGYPTI-
ACAE
MORS, ET
EXEM-
PLVM
VINCEN-
TATI-
ONES
CARNIS.

duſ parens Noë, ad vindicandam Chami filij ſui impudentiam, eius filio huiuscemodi verbis maledixit: *Maledictus Chanaan ſeruus ſer- uorum erit fratribus ſuis; Benedictus Dominus Deus Sem, ſit Chanaan ſeruus eius. Dilatet Deus Iaphet, & habitet in tabernaculis Sem, ſitq; Chanaan ſeruus eius.* Quod agnoſcunt & SS. PP. Manebat antè, quàm vinum inueniretur, omnibus inconcuſſa libertas, ait S. Ambroſius, nemo ſciebat à conſorte natura ſue obſequia ſeruitutis exigere; non eſſet hodie ſeruitus, ſi ebrietas non fuiſſet. Quod & D. Auguſtinus tradit, cuius hæc ſunt: *Conditio ſeruitutis iure intelligitur impoſita peccatori: proinde nuſquam ſcripturarum legimus ſeruum, antequàm hoc vocabulo Noë iuſtus peccatũ filij vindicaret: nomen itaq; iſtud culpa meruit, non natura.* Si vini exceſſus in patre poſteris occaſionem fecit, vt ſeruituti addicerentur, & vel hac de cauſa nobis attendendum eſt, ne excedamus; quantò magis, ſi nos fecit ſeruos peccati, mancipia diaboli, & filios gehennæ? Rectè ergo ſapiunt, quibus aqua plus ſapit, qui cum Maria Ægyptiaca crapulam inediâ, conuiuia ieiunijs, luxuriam vitæ aſperitate caſtigant. Deſipiunt, qui cum diuite epulone induuntur *purpura & byſſo, & epulantur quotidie ſplendide;*

Gen 9.25.

S. Ambr.
lib. de
Helia &
ieiunio
cap. 5.

S. Augu-
ſtin. l. 19.
ciuit. c. 15.

Luc. 16. 19

Q 5

transi-

S. Hiero-
nym. ad
Aman-
tium,

Socrat.
lib. 4. c. 1.
Niceph.
lib. 11. c. 1.

transibunt enim de bysso ad Orcum, de
purpura ad flammam, de epulis ad sitim nec
unicâ guttâ aquæ refrigerandam. Quæ qui
feriò expendit, næ ille pœnitentiæ opera, præ
illis supplicijs censet millies eligenda, tanto-
que magis, si eum voluptas subuertit; quia,
teste S. Hieronymo, *omne peccatum post fa-
ctum pœnitentia sequitur: sola voluptas, in ipso
pœnitentia tempore, præteritos stimulos patitur,
ut ex hoc, quod corrigere cupimus, rursus sit
materia delinquendi.* Adeò circumspectè est
hoc bellum gerendum. Quare seduli animæ
suæ custodes, vel primâ Cupidinis cogitatio-
nem, tanquam ignem in manum incidentem
excutiunt, horrentque. Nemo diu vel scintil-
lam in vestem, aut faciem insipientem sustinet,
sed illico abstergit, vel excutit; quia vel mi-
nimâ morâ nocet, vritque. Ita turpis cogi-
tatio, si non statim eijcitur, statim incendit.
Valentinianus & Valens antè, quàm imperio
potirentur, impij Iuliani in aula pij Christia-
niq̃ue fratres, inclyti militiæ duces, multa
constantie & fortitudinis exempla ediderunt,
honores, patriam, vitam priùs, quàm fidem
relinquere parati. Horum vnus Valentini-
anus Iouinianæ legionis dux aliquando Iu-
liano Imperatori præsens, dum sacrificulus, in

in fano, idolis immolaret, Iulianumq; vuidis
folijs aspergeret, vbi animaduertit, vel vni-
cam idololatricæ aquæ guttam Imperatori
destinatâ sibi in vestem delapsam, vehemen-
ter iratus popam, coram Iuliano, asperis ver-
bis accepit, atq; educto gladio particulam
illam sacrilegâ guttâ contaminatam, è veste
sibi excidit, atque abiecit. Ob quod factum
ab Apostata in exilium missus, quasi de victo-
ria triumphauit. Et vera sanè illa victoria
fuit. Vtiam sic omnes abhorrent & excin-
derent asperfas in pectus Venereas cogitatio-
nes, tantò detestabiliores, quantò plus est,
mentem quam vestem habere maculatam!
Non tamen cogitationes tantùm eiusmodi
sunt abscindendæ, sed ipsa etiam semina
malarum cogitationum. Epulæ lautiores, &
potus vini, ventrisque saturitas seminarium
sunt libidinis. Nec vestium mollities aut
splendor oculos aspicientium faciunt castio-
res. Et tamen harum rerum maximus est
tunc vsus, quando diebus festiuis Deum ma-
ximè par est venerari. Ille precibus sacris,
elemosynis, operibus pœnitentiæ honora-
tur; vino, dapibus, saturitate & ebrietate
Bacchus & Venus coluntur. Quod Aristip-
pus falsè luxum suum excusans perstrinxit.

Cùm

Laërt. l. 2.
cap. 8.

Cum enim quidam illi probro darent, Quod splendide exquisitèq; viveret Philosophus: Id, inquit, si vitium esset, in celebritatibus Deorum, nequaquam fieret. In his enim & magnificè vestiri, & lautissimo ciborum apparatu solent uti. Porro cum Dijs sint infensi vitys, non placarentur, si iritarentur eiusmodi magnificentia, si ea cum vitio esset coniuncta. Sic ille quidem elusit convitium, non ostendit, quid esset optimum. Optimum est, optimum Deum, moribus optimis venerari. Qui autem dies sacros, pontificalibus epulis comestationibusq; profanant, non solum duplici se modo contaminant, & bona negligendo, & mala patrando, sed etiam ostendunt, ventrem se pro suo Deo adorare, ac Veneris pupillos mancipiaque esse, quæ sine Cerere & Baccho friget, mererique morbos, quos sua intemperantia efficiunt,

Idem l. 6.

Innocen.
de vilit.
con, hum.

cum & Diogenes stomachatus sit in eos, qui pro bona valetudine Dijs munera offerrent, & in ipso sacro omnibus voluptatibus se obruentes perderent. Parum autem esset, si corpus duntaxat perderent, jam etiam animam perdunt in gehennam, æternam cum Epu-lone sitim passuri. Gula Paradisum clausit, ait Innocentius, primogenituram vendidit: suspendit pistorem, decollavit Baptistam. Nabu-zardan

zardan princeps cocorum templum incendit, & Ierusalem totam euertit. Baltasar manum contra se scribentem aspexit in conuiuio, & eadem nocte interfectus est à Chaldeis. Quot vel nostro tempore, audiuimus inter Capitolinas dapes animâ efflasse? Itaque multi etiam, in hac vita, suamet auiditate edendi atq; potandi haud ambiguè grauitè puniuntur. Quod vel Socrates animaduertens, dicere solebat, eos, qui se ad continentiam ac frugalitatem exereuissent, & longè plus habere voluptatis, ac minus dolorû, quàm qui summa cura vndiq; pararent oblectamenta: quòd voluptates præter intemperantiam præter animi sibi malè conscij cruciatum, præter infamiam ac paupertatē, frequenter ipsi etiâ corpori plus adferant molestiæ, quàm delectationis. Contra, quæ sunt optima, eadem fiunt iucundissima, si quis assueuerit. Rectè igitur frugalis vita Alcinoi mensis, luxus Tantali hortis cõparatur. Vt nauæ nimium onerantes nauē, deinde in exhaurienda sentina laborant: ita qui corpus onerant cibis, ac deinde clysteribus inaniunt. Tale est in ventrem cibos mittere, ait S. Chrysofomus, quale si quisquam eos in cloacam proijceret. Magis autem non tale, sed multo peius: hic enim finum operatur, sine tua lesione,

Laërt. l. 2.
cap. 5.

S. Chryf.
hom. 29.
in ep. ad
Hebræos.

lesione, illic autem plurimos morbos, plurimasq;
procreat aegritudines. Quod facit fames, hoc facit
& plenitudo ciborū; magis autem multò peiora.
Fames quippe in paucis diebus aufert hominem, &
liberat ex hac vita pœnali: excessus verò ciborum
consumit & putrefacit corpus humanum, & ma-
cerat aegritudine diuturna, & tunc eum morte
crudeli consumit. Sicut enim, ait idem, terra,
qua valde humecta est, generat vermes & simos,
cum compluitur, vel cum plurimum sibi humore
retinet: terra verò qua libera est ab humoribus,
fructuū facunditate decoratur, si ex abundantia
non corrumpatur aquarū: ac si etiā non colatur,
ultro tamen gramina subministrat: si verò colat-
tur, fructuū facunditate pollebit. Obsecro igitur,
ne nostrum corpus vitiosum & inutile faciamus;
neq; ei vitia inseramus, sed fructus utiles, & ar-
busta fructuosa, ne ea dissoluamus per immodera-
tionē ciborū. Immoderatio quippe pro fructibus
vermes facit. Sic insita nobis cupiditas amores tur-
pes, & voluptates turpiores generat. Numquid
igitur præstat, cum Zosima, cum Maria Ægy-
ptiaca, & cum tot millibus Sanctorū corpus
ieiunijs salubriter extenuare, quàm in tot-
hui' vitæ morbos, & vitia, & alia incōmoda,
& deniq; ad alendas sempiterni ignis flāmas,
adipare? Vē tunc pinguis, beatè macilentis.